

Urkundenbuch der Reichsabtei Hersfeld. Erster Band (Ed. Weirich) Nr. 98

In nomine sancte et individue trinitatis. Notum sit omnibus Christi nostrique fidelibus futuris et presentibus, qualiter ego Bardo archiepiscopus Moguntinus seditionem quamdam diu inter nostros antecessores et abbates Hersveldenses super quadam terminatione habitam ad concordie unitatem revocavi. Est nobis capella quedam in loco qui dicitur Ad quercus sita, quam precessor noster Erkanbaldus archiepiscopus dedicatam terminatione predicta firmavit. His ita gestis visum est prefati loci abbatibus ad suam ecclesiam potius quam ad nostram illam pertinere terminationem, et hac assidua reclamacione seditio orta de eadem re. Ergo cum hec diu tractarentur, ius suum in utrisque ... abbatem Megenherum perventum est et ipse, cum rem diligentius tractaret, nolens hanc litem inter nos stare diutius quicquid est terminationis de fonte rivi cuiusdam, qui vocatur Steinbach, usque ad Lardenbach, quodque etiam ad villam pertinet, qui similiter dicitur Lardenbach, usque ad predia sancti Wigberti suis nostrisque fidelibus iuste iudicantibus ad nostram permisit ecclesiam. Et hoc ne quis in futurum infringere conetur, complacuit nobis hoc scriptum ambobus fieri et suo nostroque sigillo firmari. Actum est sub Bardone venerabili archipresule et Meginhero abbate venerando in loco qui dicitur Ingelenheim; feliciter.